



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De vitio detractionis. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

eum multo gemitu reprehendere incipiunt, quòd hucusque tam incustoditi vixerunt, sed occurrente occasione, impositum sibi (propter vitiosam consuetudinem) silentium resoluunt.

18. *Qualiter dissuescit homo à multiloquio.*

Quam utique consuetudinem si dediscere & amputare voluerint, studeant sepe innouare propositum hodie silentii propter amorem Christi; & sollicitius occasiones loquendi declinare, atque hominum leuium libenterque fabulantium vitare presentiam. Nec hoc tantum propter illos, quantum propter suam infirmitatem & insufficientiam, sibi faciendum esse sentiant. Insuper pro sui confortatione pensent, quanta mala ex tali vitioso vsu soleant sibi accidere, quanta etià posset adhuc, nisi vigilanter compescant linguam, accumulare. Linguam enim Iacobi 3. nullus hominum domare potest. Satis grauis & lamentabilis ista sententia, quòd humanum genus in tanta versatur debilitate & insipientia: quod tam paruum membrum rationis imperio nequit subiugare. Fortè longè facilius esset multis omnino tacere, quam verbo non iocari; aut quod ad rem non pertinet, aliquando non dicere. Quòd si tacuerint, certè liberi erunt ab offensione verbi.

19. *De multiplici peccato locutionis.*

Quis enim plenè iudicet, quoties peccatur verbo? Aut enim otiosum, aut iocosum, aut elatum, aut durum, aut indignandum, aut dissolutum, aut adulatorium, aut seductorium, aut vanigloriosum, aut præsumptuosum, aut defensorium, aut excusatorium, aut detractorium, aut mendosum, aut inhonestum, aut nociuum, aut exprobratorium, aut illusorium, aut superfluum, aut improuisum, aut impestiuum, aut illicitum, aut alio quolibet genere vitiosum est verbum, quod emittitur.

20. *De vitio detractionis.*

Inter quæ sæpissime detractionis vitium principatur, quia de absentibus loqui nunc isti, nunc illa, generalissimū inter homines congregatos innenitur. Et vnusquisque libenter, quod sibi in aliis placet aut displicet, euomit, minùs cautè attendens, ne fortè cuiquam derogat; quàm grauius etiam & facilius possit verbo delinquere. Sepe dicitur, quod statim (vt dictū est) pœnitere incipit, & nunquam (si posset illæsum reuocari) diceretur. Et vtinam semel cadendo, doceretur homo damno suo, ne iterum caderet.

21. *Quòd*